



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Talio, Sev Metiens Et Remetiens Mensvra

Stengel, Georg

Ingolstadij, 1650

§. 4. Suo gladio peruentes, inter quos sunt, qui docent Scripturam esse
luce meridiana clariorem.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-52346](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-52346)

mentum laci, donec arriperent eos leones, & omnia ossa eorum comminuerunt.

§. IV.

Suo gladio pereuntes, inter quos sunt, qui docent, scripturam esse luce meridiana clariorem.

Matth.
26. 52.

1. Reg 17.
50.

Ne verò etiam in sacris historijs putes, Marios deesse, qui suo telo sunt iugulati, aut qui acceperint gladium, & gladio perierunt, quid notius spurio illo Goliath? is quantus in hostem surgebat? quantas voces iactabat? quantum terrorem Israëlitis incutiebat? An impunè? *Prævaluit David adversum Philisthaum in funda & lapide, percussimq; Philisthaum interfecit. Cumq; gladium non haberet in manu David, cucurrit, & stetit super Philisthaum, & tulit gladium eius, & eduxit eum de vagina sua: & interfecit eum, præciditq; caput eius. Quod facere, sine gladio, non potuisset. Ut gladius non abesset, attulit ipse eum in perniciem suam vastus ille gladiator. Quamuis alia eum mente attulit, nempe ut id ipsum faceret Davidi, quod à Davide passus est. In quæ verba D. Gregorius ait: Vir quoque Catholicus colligit testimonia Scripture, quæ hæreticus pro se affert; & erroris eius pertinaciam inde conuincit.*

Goliath

Goliath ergo cum gladio, David cum pera & funda pastoralis ad praelium venit; sed David Goliath suo gladio occidit, Scriptura sacra tamquam gladio suo vtuntur hæretici, sed ab Ecclesia per ipsam quoque Scripturam conuincuntur: vt cum aiunt, sensum litteralem Scripturæ clarum esse, & intellectu facilem, iuxta illud: *Lucerna pedibus meis verbum* Psal. 118. 105. *tuum, & lumen semitis meis;* ipsis scripturis eos iugulamur, cum quarimus, Quod si Scriptura semper est clara, cur discipuli Luc. 24. 27. euntes in Emmaus, nisi Christo interprete, non intelligebant Moysen & Prophetas? Cur Eunuchus reginæ Æthiopum rogatus à Philippo an intelligeret Isaiam Prophetam, Act. 8. 31. quem legebat, respondit: *Quomodo possum, si non aliquis ostenderit mihi?* Cur Apostoli Matth. 16. 11. multa eorum, quæ à Christo audiebant, & Luc 18. 34. nunc scripta sunt in Euangelio, non intelligebant? Cur à Petro scriptum legimus, in 2. Petr. 3. 16. Pauli Apostoli epistolis *quædam esse difficilia intellectu?* Ad hæc respondere non possunt, qui dicunt Scripturam vbiq; luce meridiana esse clariorem; suo itaque gladio, hoc est, scripturâ iugulantur. Nos autem ad ea, quæ obijciunt, nullo negotio respondemus. Ait sanè David: *Lucerna pedibus meis verbum*

bum tuum; Sed aliud est, Verbum Dei, quando alicui semel ex diuina inspiratione cognitum & intellectum est, dirigere illum, ne erret, sicut lucerna, quæ dirigunt eum, ne in foueam cadat, aut in lapidem offendat: aliud est, Verbum Dei ex se clarum esse, quod negamus cum Davide, cuius ibidem verba sunt: *Revela oculos meos, & considerabo mirabilia de lege tua*; item: *Da mihi intellectum, & scrutabor legem tuam*; *Da mihi intellectum, ut sciam testimonia tua*. Vbi petit gratiam à Deo, ut possit Scripturam intelligere; qua ipsa petitione ostendit, Scripturam ad eò esse obscuram, ut sine peculiari Dei illustratione intelligi non possit. In hunc modum mysticè Goliath suo gladio obtruncatur, dum scripturis hæretici, qui volunt scripturis contra nos pugnare, percutiuntur.

§. V.

Holofernes suo pugioe ingulatus; & David adulter adulteris punitus.

Ceterum ad litteram suo telo cecidit superbus ille Martis imitator Holofernes, qui dum ingenti exercitu imminuit Iudæis, muliebri manu est interemptus. Fortissima enim Iudith, oratione ad Deum fusa, *accessit*

Iudith.
13. 8.

ad